STADTGYMNASIUM ZU HALLE A. S.

VINDICIAE LUCIANEAE.

VON

DR. **GUSTAV SOROF,**
GYMNASIALOBERLEHRER.

Beilage des Osterprogramms 1898.

HALLE A. S.
DRUCK VON EHRHARDT KARRAS.
1898.

1898. Progr. Nr. 245.

Bibliothek des Städt. Gymnasiums * Düsseldorf *

9ha 18 (1898)

2456

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

I. Non pauci sed permulti in scriptis Lucianeis operam suam posuerunt emendandis et extremis his annis, ex quo in primis Sommerbrodtius latius quam in aliis scriptoribus coniecturarum campum patere in Lucianeis scriptis statuit (Lucian. rec. J. S. 1886, I, 1. Praef. VIII), in dies fere emendationum seges crescere videtur. Sed suo iure M. Rothsteinius (Quaest. Luc. 99 ss.) monet, ne nimio emendandi studio operam perdant viri docti atque oleum: multo enim plura recte ille ait cum dubitatione esse relinquenda quam coniecturis certis restitui posse. Certe illud poscere debemus, ut qui Lucianum emendare studeat is et generis dicendi quo usus est Samosatensis et earum quae quidem in editionum textu quem dicunt positae sunt coniecturarum diligenter habeat rationem. Quid, quod in magno coniecturarum numero P. R. Muellerus (Annal. Nov. Fleckeis. 1897, p. 403) id quoque profert, ut pro *βασιλεὺς γὰρ* scribendum auguretur Iup. conf. 8. 132, 1 Bekk. *βασιλεύεις γὰρ*, quam scripturam contra omnium librorum manu scriptorum auctoritatem in verborum continuatione iam Bekkerus posuit. Iniuria ille quidem, opinor, vir doctissimus. Quam grata enim Luciano ellipsis ea sit, qua omittat cum alia vocabula tum verbum *εἶναι*, id vel qui percurrit libros Lucianeos satis habet persuasum, de qua re, quam Schmidius (Attic. I 423) paucis tetigit, uberius disseruerunt et Du Mesnilius (Grammatica, quam Luc. etc. Stolp. Progr. 1867, 53 ss.) et F. Kerstenus (de ellipseos usu Lucianeo. Diss. Kil. 1889), ex quibus hic (l. l. p. 16 ff.) copulam *ἐστὶ* a Luciano multo saepius omitti quam poni statuit. Hoc igitur de quo disserimus loco quin *βασιλεὺς γὰρ* a Luciano scriptum sit pro *βασιλεὺς γὰρ εἶ*, id extra omnem tamen dubitationem positum est, quamquam alteram quae dicitur personam rarius quam tertiam omitti concedendum est. Verba autem *βασιλεὺς γὰρ* a ceteris verbis, quorum in continuatione sunt posita, ita seiungenda sunt, ut causam, cur Cyniscus Iovem esse beatum putet, indicent. — Tertia persona *ἐστὶ* videtur supplenda esse Iup. conf. 2. 103, 5 *καὶ ξυγγνώμη, εἰ ἄνθρωποι ὄντες ἀγνοοῦσι τἀληθές*, ubi *ξυγγνώμη* videtur esse ‚causa ignoscendi', idemque dicendum est de eis verbis quae sunt Dial. Mort. 29. 388, 32 *ξυγγνώμη, ὦ Αἶαν, εἰ ἄνθρωπος ὢν ὠρέχθη δόξης*, et Merc. Cond. 8. 128, 3 *ἀλλὰ ξυγγνώμη, εἴ τις ἡδονῇ χαίρει κ. τ. λ.* — Altera persona *φέρεις* supplenda est Herm. 3. 15, 15 *σὺ δὲ καὶ τὰς τῶν ἐφόρων καὶ τὰς τῶν γερόντων προσέτι* sc. *φέρεις*. Falluntur vero editores, qui paulo infra omissum arbitrantur *εἶ*, cum verba ita interpungant: *σὺ δὲ καὶ τὰς τῶν ἐφόρων καὶ τὰς τῶν γερόντων προσέτι, καὶ ὅλως ἁπάντων ὁ πολυψηφότατος ἐν παιδείᾳ σύ γε, καὶ μάλιστα ὅσῳ τὴν λευκὴν ἀεὶ καὶ σώζουσαν φέρεις, ὃ καὶ θαρρεῖν με ἐν τῷ παρόντι ποιεῖ*. Immo verba *καὶ ὅλως ἁπάντων* coniungenda arbitramur cum antecedentibus, ut ipsa quoque referantur ad *τὰς* sc. *ψήφους*. Verba autem quae sequuntur *ὁ πολυψηφότατος ἐν παιδείᾳ σύ γε* quasi appositionis quae dicitur loco referenda sunt ad initium sententiae

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

σὺ δὲ κ. τ. λ. Quamquam enim in concilio illo Lacedaemoniorum nemo sententiam fert nisi reges et senes, tamen καὶ ὅλως ἁπάντων cum prioribus verbis ita coniungimus, ut his verbis Lucianus extra fines exempli quod affert subito excedat; aptissime iam superlativo ὁ πολυψηφότατος ἐν παιδείᾳ σύ γε id uno verbo comprehenditur, quod prioribus explicatum est multis, summam scilicet artis aestimandae auctoritatem esse in illo, apud quem Lucianus verba facit; reditque ita scriptor eo unde profectus est, cum paulo supra (15, 8 B.) dicit sperare se uno hoc iudicio omnium se adeptum esse iudicium, ubi per ellipsin dicitur: καὶ δὴ ἐπὶ πέρας ἥκειν με τῆς ἐλπίδος ἐν μιᾷ ψήφῳ τὰς ἁπάσας λαβόντα. Is locus addendus est eis, quos Du Mesnilius l. l. p. 55, 3a affert. Cogitat enim animo ἥκειν με ἐσκοπούμην, id quod paulo supra (15, 2) legitur τῷ Τιμοθέου λόγῳ ἑπόμενος ἐσκοπούμην ὅστις ὁ ἄριστος εἴη κ. τ λ

Extra ellipseos quam dicunt fines excedit locus, qui est Iup. conf. 4. 130, 18, ubi Cyniscus Iovi quae sit inquirendi causa interroganti (τίνος δ' οὖν ἕνεκα ἠρώτησάς ποτε τὸ περὶ τῶν Μοιρῶν;) respondet haec: ἦν πρότερόν μου, ὦ Ζεῦ, κἀκεῖνο εἶπῃς, εἰ καὶ ὑμῶν αὗται ἄρχουσι καὶ ἀνάγκη ὑμῖν ἠρτῆσθαι ἀπὸ τοῦ λίνου αὐτῶν. Non verbum aliquod supplendum est, sed tota haec sententia est omissa: tum demum respondebo tibi, si e. q. s. —

Non mediocris scrupulus viris doctis eo loco iniectus est, qui est Zeux. 7. 64, 16, ubi Bekkerus et Iakobitzius scripturam quae codicibus fere omnibus traditur in verborum continuatione posuerunt hanc: τῶν δ' ἐφ' ὅτῳ, εἰ καλῶς ἔχει καὶ κατὰ τὴν τέχνην, οὐ πολὺν ποιοῦνται λόγον, ἀλλὰ παρευδοκιμεῖ τὴν ἀκρίβειαν τῶν ἔργων ἡ τῆς ὑποθέσεως καινοτομία, Iacobitzio a Bekkeri textu ita dissentiente, ut post τῶν δ' quoque interpungat. Sommerbrodtius autem verba ita intellegi non posse ratus ad Palatini 73 libri auctoritatem decurrit, quo libro tradita sunt haec: τῶν δ' αὖ φώτων, εἰ καλῶς ἔχει κ. τ. λ., a qua scriptura libri Vaticanus Γ et Parisinus M ita tantum discrepant, ut exaretur in eis δὲ pro δ'. Sed ut intellegamus, quid illa verba sibi velint, ad universum libelli argumentum respicere debemus. Toto enim libello inter se opponuntur id quod plebs ab artifice flagitat et vera ars. Ii qui Lucianum audiverant declamantem, summis laudibus eum cumulaverant ea de causa, quod novum et inauditum protulisset argumentum, neque artis qua prolatum erat omnino rationem habuerant, ut Lucianus secum reputaret (62, 12): οὐκοῦν τοῦτο μόνον χάριεν τοῖς ἐμοῖς ἔνεστιν, ὅτι μὴ συνήθη μηδὲ κατὰ τὸν κοινὸν βαδίζει τοῖς ἄλλοις, ὀνομάτων δὲ ἆρα καλῶν ἐν αὐτοῖς καὶ πρὸς τὸν ἀρχαῖον κανόνα συγκειμένων ἢ νοῦ ὀξέος ἢ περινοίας τινὸς ἢ χάριτος Ἀττικῆς ἢ ἁρμονίας ἢ τέχνης τῆς ἐφ' ἅπασι, τούτων δὲ πόρρω ἴσως τοι μόν· οὐ γὰρ ἂν παρέντες αὐτὰ ἐκεῖνα ἐπῄνουν μόνον τὸ καινὸν τῆς προαιρέσεως καὶ ξενίζον.

Sermonis igitur pulchritudinis et vetustatis, sensus acuti, solertiae excogitandi, venustatis atticae, numeri et in omnibus constituendis artis, harum rerum, quas Lucianus maxime curabat, rationem habuerant omnino nullam. Atque ea quoque spes Lucianum fefellerat fore ut illi, quae de novitate argumenti praedicavissent, ea parvi momenti esse rati ea deinde et afferrent et laudarent, quae ipse re vera laude digna iudicaret. Sed ἄνθρακες ὁ θησαυρός: nihil aliud habebant, quod praedicarent. Quae postquam scriptor exposuit, idem evenisse narrat Zeuxidi, qui novam imaginem, qua non ipsa quidem sed alia secundum illam depicta Luciani ipsius Athenis versantis admiratio valde mota erat, ipse quoque, ut Lucianus, sperabat (64, 7) ἐκπλήξειν τοὺς ὁρῶντας ἐπὶ τῇ τέχνῃ. Sed illi nihil nisi novitatem argumenti admirati sunt; ὥστε ὁ Ζεῦξις συνείς, ὅτι αὐτοὺς ἀσχολεῖ ἡ ὑπόθεσις καινὴ οὖσα καὶ ἀπάγει τῆς τέχνης, ὡς ἐν παρέργῳ τίθεσθαι τὴν ἀκρίβειαν τῶν

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

πραγμάτων, ἄγε δή, ἔφη, ω Μικκίων, πρὸς τὸν μαθητήν, περίβαλε ἤδη τὴν εἰκόνα καὶ ἀράμενοι ἀποκομίζετε οἴκαδε. οὗτοι γὰρ ἡμῶν τὸν πηλὸν τῆς τέχνης ἐπαινοῦσι, τῶν δ' ἐφ' ὅτῳ, εἰ καλῶς ἔχει καὶ κατὰ τὴν τέχνην, οὐ πολὺν ποιοῦνται λόγον, ἀλλὰ παρευδοκιμεῖ τὴν ἀκρίβειαν τῶν ἔργων ἡ τῆς ὑποθέσεως καινοτομία. Quam praeferunt Fritzschius et Sommerbrodtius scripturam τῶν δ' αὖ φώτων, eam probari non posse vel ex eis quae supra exposuimus videtur apparere. τὰ φῶτα viri docti ita intellegunt, ut lumen significent, quod una cum umbra a pictore in describendis imaginibus diligenter custodiatur necesse est. Sed hac interpretatione id quod Lucianus τέχνην significat angustioribus finibus coercetur, cum c. 5 de hac re disputans τὸ ἀποτεῖναι τὰς γραμμὰς ἐς τὸ εὐθύτατον καὶ τῶν χρωμάτων ἀκριβῆ τὴν κρᾶσιν καὶ εὔκαιρον τὴν ἐπιβολὴν ποιήσασθαι καὶ σκιάσαι ἐς δέον καὶ τοῦ μεγέθους τὸν λόγον καὶ τὴν τῶν μερῶν πρὸς τὸ ὅλον ἰσότητα καὶ ἁρμονίαν, haec omnia verae artis esse exponat, quarum rerum illa φῶτα (τὸ σκιάσαι) tantum partem esse aliquam apparet. Accedit quod non satis intellegitur, qua ratione verba οὗτοι ἡμῶν τὸν πηλὸν τῆς τέχνης ἐπαινοῦσιν et verba τῶν δ' αὖ φώτων, εἰ καλῶς ἔχει καὶ κατὰ τὴν τέχνην, οὐ πολὺν ποιοῦνται λόγον inter se opponantur. Πηλὸς τῆς τέχνης, lutum artis, quid sibi velit, vel per se ipsum satis apparet: est enim materia, qua artifex rem aliquam fingens utitur; hoc igitur loco argumentum est, quod Zeuxis imagine sua expressit, quod artifici minoris momenti est prae ceteris rebus, quibus in elaborandis quid arte sua possit ostendere licet. Verbis igitur quibus illos vituperat, quippe qui, cum artis omnino imperiti sint, materiam tantum et argumentum laudent, fieri non potest, quin a Luciano ea verba opposita sint, quibus artis ipsius ratio habeat. Cui argumentationi satisfacit codex Vaticanus 𝔄, cuius scriptura, si recte eam interpungimus, aptissimus sententiarum conexus praebetur: οὗτοι γὰρ τὸν πηλὸν τῆς τέχνης ἐπαινοῦσι, τῶν δ', ἐφ' ὅτῳ, εἰ καλῶς ἔχει (sc. ἡ εἰκών), καὶ κατὰ τὴν τέχνην (sc. καλῶς ἔχει ἡ εἰκών), οὐ πολὺν ποιοῦνται λόγον. ‚Hi enim lutum tantum artis nostrae laudant, quatenus vero, si imago, ut aiunt, vere pulchra est, secundum artis leges sit pulchra imago, id illis cordi omnino non est.' Neque repugnamus, si qui verbis εἰ καλῶς ἔχει καὶ κατὰ τὴν τέχνην unam effici sententiam malunt; idem enim hac atque illa verborum distinctione efficitur, dummodo recte addant: τῶν δ', ἐφ' ὅτω, εἰ καλῶς ἔχει καὶ κατὰ τὴν τέχνην, καλῶς ἔχει καὶ κατὰ τὴν τέχνην, οὐ πολὺν ποιοῦνται λόγον. Neque vero recte interpretatur Hemsterhusius (ap. Reitz.) et grammaticae repugnat rationi, cum verba latine ita reddit: ‚eorum autem, propter quae debebat laudari, si bene et ex arte posita sunt, non multam habent rationem'. Nam verba ἐφ' ὅτῳ respicere non possunt ad priora τῶν δ'. Potius haec verba ita interpretanda sunt, sicut verba quae sunt Dial. Deor. 17, 2. 111, 6 οὐκοῦν καὶ δεδέσθαι ἂν ὑπέμεινας ἐπὶ τούτῳ, vel Dial. Deor. 2, 2. 96, 17, ubi Iuppiter Amori ignoscere se his verbis dicit: ἐπὶ τούτοις αὐτοῖς ἐφίημί σε, i. e. hac condicione tibi ignosco. Notum autem est et cuiusvis aetatis scriptoribus usitatum hoc genus dicendi. Pronomen vero ὅστις saepe Lucianus pro breviore pronomine ὅς usurpat neque ulla inter utrumque discrepantia usus videtur esse.

Quae si recte exposita sunt, codices Vaticanum Γ, Parisinum M, Palatinum 73 hoc loco foedissime interpolatos esse apparet idque ita, ut hic locus ad constituendas diversas codicum familias videatur aptissimus esse.

Sed id quoque ex hoc loco cognoscere possumus, quanti ad scriptorum verba recte interpretanda et ad sensum illorum referenda momenti sit distinctio verborum, quam nos appellamus interpunctionem, de qua luculentissime, ut solet, disputavit Vahlenus (Ind. lect.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aest. Univ. Berol. 1880). Atque in Luciani quoque verbis distinguendis et disponendis persaepe non ea qua necesse erat diligentia viri docti usi sunt neque semel sed saepius iniuria coniecturis verba vexaverunt, quae recte disiuncta et disposita nulli sunt offensioni. Etenim non recte editores intellexisse mihi videntur verba ea, quae sunt Zeux. 12. 65, 38, ubi Lucianus oratiunculae fine facto ad suam rem redit his verbis, quas, cum illi interpretationi, quam modo proposuimus, non mediocriter mihi videantur suffragari, omnes exscribo: *ὥρα τοίνυν με σκοπεῖν μὴ καὶ τοὐμὸν ὅμοιον ᾖ τῷ Ἀντιόχῳ, τὰ μὲν ἄλλα οὐκ ἄξια μάχης, ἐλέφαντες δέ τινες καὶ ξένα μορμολύκεια πρὸς τοὺς ὁρῶντας καὶ θαυματοποιία ἄλλως. ἐκεῖνα γοῦν ἐπαινοῖσι πάντες. οἷς δ' ἐγὼ ἐπεποίθειν, οὐ πάνυ ταῦτα ἐν λόγῳ παρ' αὐτοῖς ἐστιν, ἀλλ' ὅτι μὲν θήλεια ἱπποκένταυρος γεγραμμένη, τοῦτο μόνον ἐκπλήττονται καὶ ὥσπερ ἔστι, καινὸν καὶ τεράστιον δοκεῖ αὐτοῖς, τὰ δ' ἄλλα μάτην ἄρα τῷ Ζεύξιδι πεποίηται.* Haec verborum distinctio Iacobitzio, Dindorfio, Bekkero, Sommerbrodtio editoribus probatur. Parum probabiliter, ut videtur. Nam ita potius seiungenda verba esse existimo: *τοῦτο μόνον ἐκπλήττονται καὶ, ὥσπερ ἐστὶ καινόν, καὶ τεράστιον δοκεῖ αὐτοῖς*: id unum admirantur et, ut novum est, admiratione quoque dignum eis videtur, i. e. omnia quae nova sunt propter hanc ipsam novitatem eis videntur admiratione digna, verae autem artis rationem habent nullam. — Facilius ea quoque verba, quae sunt Nigr. 1. 299, 17, iudicamus intellegi ita seiuncta: *ὁδοῦ πάρεργον ἥκω σοι εὐδαίμων τε καὶ μακάριος γεγενημένος καὶ — τοῦτο δὴ τὸ ἀπὸ τῆς σκηνῆς ὄνομα — τρισόλβιος.* Eodem modo medela afferri potest ei loco, qui est Scyth. 8. 19, 8, ubi de auctoritate qua apud Athenienses Solon utatur Toxaris haec disserit: *οὐ γὰρ μικρὸν ἦν Σόλων ἐπαινῶν, ἀλλ' οἱ ἄνθρωποι καὶ τοῦτο ὡς νομοθέτῃ ἐπείθοντο, ἐφίλουν, οὓς ἐκεῖνος δοκιμάζοι, καὶ ἐπίστευον ἀρίστους ἄνδρας εἶναι.* Constat Luciani scripta abundare sententiis, quae inter alias sunt interposita (cf. Guttentag. de Tox. p. 38. Schwidop. observ. Luc. I 22 s. Schmid. Attic. III 326) idque dicendi genus hoc quoque loco ita usurpatum iudicamus, ut interpungatur: *ἀλλ' οἱ ἄνθρωποι — καὶ τοῦτο ὡς νομοθέτῃ ἐπείθοντο — ἐφίλουν οὓς ἐκεῖνος δοκιμάζοι καὶ ἐπίστευον ἀρίστους ἄνδρας εἶναι.* Coniectura igitur (*ἐπείθοντο, ⟨ὅτι⟩*), quam Rothsteinius l. l. 121 proposuit, omnino opus non est.

Non recte viri docti duobus aliis de quibus iam disputatio fiat locis verborum relationem et rationem intellexerunt. In ea enim prolalia, quae ab Herodoto nomen traxit, huius praestantissimi scriptoris dicendi virtutes imitari se non posse ait Lucianus; eodem autem quo illum modo et ipsum et quemlibet efficere posse, ut brevi omnibus Graecis cognitus sit (10,33): *ἃ δὲ ἐποίησεν ἐπὶ τοῖς συγγράμμασι καὶ ὡς πολλαχῶς τοῖς Ἕλλησι γνώριμος ἐν βραχεῖ κατέστη, καὶ ἐγὼ καὶ σὺ καὶ ἄλλος ἄν μιμησαίμεθα.* Is est Iacobitzii textus, cuius ex critica quae dicitur adnotatione apparet vocem *γνώριμος* non in omnibus libris manu scriptis exstare. Ex Sommerbrodtii editione videtur coniciendum esse Lucianum scripsisse *καὶ ὡς πολλαχᾶς τοῖς Ἕλλησιν ἅπασιν γνώριμος ἐν βραχεῖ κατέστη.* Editores haeserunt in voce *πολλαχῶς*, quam Bekkerus ex verborum continuatione omnino reiecit, Sommerbrodtius commutavit in *πολλαχόσε*. Atque iam Iacobitzius quidem vitium in hac voce quaerendum esse statuit. Quae dubitatio inde orta est, quod omnes interpretes ei vocabulo loci quandam significationem inesse putant, id quod et ex Hemsterhusii interpretatione 'omnibus in locis' et ex Sommerbrodtii coniectura intellegitur. Sed non multis locis, sed uno loco, Olympiae, omnibus Graecis Herodotus innotuit idque vocabulo *ἅπασιν* significatur, quod codicis Gorlicensis librarii diligentia servatum ad verborum rationem recte intellegendam omnino necessarium est. *Πολλαχῶς* autem est ‚multis rationibus'. Idque huic loco aptissimum est et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

accomodatum. Referenda est enim illa vox ad ea verba, quibus ineunte oratiuncula diversas Herodoti virtutes commemorat easque tales, quales neque ipse neque alius quisquam assequi possit: *οὐ πάντα φημί . . . ἀλλὰ . . . κάλλος τῶν λόγων ἢ ἁρμονίαν αὐτῶν ἢ τὸ οἰκεῖον τῇ Ἰωνίᾳ καὶ προσφυὲς ἢ τῆς γνώμης τὸ περιττὸν ἢ ὅσα μυρία καλὰ ἐκεῖνος ἅμα πάντα συλλαβὼν ἔχει.* Has omnes virtutes, cum Olympiam Graeci omnes ad ludos agendos convenissent, iis qui audiebant ostentavit et ita multis ille rationibus (*πολλαχῶς*) Graecis omnibus innotuit.

Subsequentibus verbis postquam Herodotum in multis Graeciae urbibus libros suos recitare sprevisse Lucianus exposuit, ita pergit (11,7): *οὔκουν ἠξίου διασπᾶν τὸ πρᾶγμα οὐδὲ κατὰ διαίρεσιν οὕτω κατ᾽ ὀλίγον ἀγείρων καὶ συλλέγων τὴν γνῶσιν, ἐπεβούλευε δὲ, εἰ δυνατὸν εἴη, ἀθρόους που λαβεῖν τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας.* Pro *ἀγείρων καὶ συλλέγων* iam Graevius *ἀγείρειν καὶ συλλέγειν* scribendum iudicavit idque et Dindorfius et Bekkerus in textu posuerunt. Sommerbrodtius autem Iacobitzii coniecturam secutus *οὐδὲ* vocabulum ut librarii errori debitum ex continuatione verborum removit, qua coniectura non sanatur locus, sed obscuratur potius, cum iam minus clare appareat, quem ad modum opposita sint haec verba eis quae sequuntur: *ἐπεβούλευε δὲ, εἰ δυνατὸν εἴη, ἀθρόους που λαβεῖν τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας*, quibus quantopere Herodoti interfuerit uno loco in universos Graecos incidere dicitur. Nolebat igitur, ut Lucianus exponit, extendere negotium neque distrahere, ne ea quidem condicione, ut sibi contingeret, ut diversis locis recitans (*κατὰ διαίρεσιν οὕτω*) minutis particulis i. e. paulatim (*κατ᾽ ὀλίγον*) omnium universam notitiam sibi compararet. *οὐδὲ* non est neque sed ne-quidem; neque *κατὰ διαίρεσιν* idem est atque *κατ᾽ ὀλίγον*, id quod Sommerbrodtius videtur statuere; additum est enim in illius editione *καὶ* ante *κατ᾽ ὀλίγον*, quod num ex codice aliquo sumptum sit ex adnotationibus criticis intellegi non potest. *κατὰ διαίρεσιν* autem verba significant id quod efficit, *κατ᾽ ὀλίγον* id quod efficitur. Eademque ratione qua hoc loco *κατ᾽ ὀλίγον* usurpatur Tim. 23. 396, 35 *ἐν ἀκαρεῖ τοῦ χρόνου ἄθλιος ἐκχέῃ τὰ κατ᾽ ὀλίγον ἐκ πολλῶν ἐπιορκιῶν καὶ ἁρπαγῶν καὶ πανουργιῶν συνειλεγμένα.* Cur autem Herodotus nullo modo hoc negotium distrahere voluerit, prioribus verbis indicatur: *ἐργῶδες καὶ μακρὸν ἡγεῖτο εἶναι καὶ τριβὴν οὐ μικρὰν ἐν τῷ τοιούτῳ ἔσεσθαι*, et ad haec verba illud *οὕτως* quod paulo infra sequitur referendum est. —

Notum atque Luciano quoque usitatum est illud anacoluthi quod grammatici dicunt genus, quo ad particulam *μὲν* non refertur *δὲ*, sed alia quaedam particula, velut *μέντοι* vel *ἀτὰρ* vel tale aliquod vocabulum. Cuius usus exemplum est is quoque locus, quem Sommerbrodtius summa iniuria temptavit, qui est Scyth. 9. 19, 20. Etenim postquam de Anacharsi a Toxaride Athenis comiter excepto et protecto non pauca disseruit, ad exitum properans ita pergit: *φημὶ δὴ ὅμοιόν τι καὶ αὐτὸς παθεῖν τῷ Ἀναχάρσιδι καὶ πρὸς Χαρίτων μὴ νεμεσήσητέ μοι τῆς εἰκόνος, εἰ βασιλικῷ ἀνδρὶ ἐμαυτὸν εἴκασα. βάρβαρος μὲν γὰρ κἀκεῖνος καὶ οὐδέν τι φαίης ἂν τοὺς Σύρους ἡμᾶς φαυλοτέρους εἶναι τῶν Σκυθῶν. ἀτὰρ οὐδὲ κατὰ τὸ βασιλικὸν ἐσποιῶ τἀμὰ ἐς τὴν ὁμοιότητα, κατ᾽ ἐκεῖνα δέ.* Sequenti oratiunculae parte extrema idem sibi atque Anacharsi contigisse narrat, ut in hac ubi moraretur urbe statim sicut Scytha ad Solonem ita ipse ad principem oppidi deduceretur. Sommerbrodtius *μὲν* particulam ut ineptam e verborum continuatione removit et concedendum sane est eam sententiam deesse, quae verbis *βάρβαρος μὲν γὰρ* respondeat. Sed cum Anacharsin ipsum fuisse barbarum hominem monet, id efficere vult, ut suo se iure cum illo se comparavisse concedatur, cum Syrorum nationem Scythis postponere non liceat. Sed — haec sententia

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ab oratore omissa est more suo ad id, de quo maxime agit, properanti — Anacharsis ille rex est et cum rege se comparare oratori non licet. Hac sententia omissa orator statim ad regiam illius Scythae dignitatem omnino se non respicere ait; casu factum esse, ut is, cui idem atque sibi contigerit, cui se conferat, sit rex. Apparet illud *μὲν* non modo interpolatum non esse, sed etiam necessarium, ut sententiarum ordo et conexus perspiciatur.

Recte igitur Rothsteinius (Quaest. Luc. 108) cavendum esse monet, ne editorum mutationibus saepe inutilibus, non raro perversis animus a sensu scriptoris bene intellegendo et recte interpretando abducatur. Sunt enim loci non nulli, ubi qui verba leviter percurrit neque ea accuratius investigare et animo assequi studet, invitari videatur et excitari, ut coniectura scriptorem temptet. Exemplo utamur eo loco, qui est Electr. 6. 27, 41, ubi Lucianus ea, quae de sucino et cycnis disputavit, in suum usum vertens hunc in modum pergit: *κἀγὼ νῦν δέδια ὑπὲρ ἐμαυτοῦ μὴ ὑμεῖς ἄρτι ἀφιγμένοι καὶ τοῦτο πρῶτον ἀκροασάμενοι ἡμῶν ἤλεκτρά τινα καὶ κύκνους ἐλπίσαντες εὑρήσειν παρ' ἡμῖν ἔπειτα μετ' ὀλίγον ἀπέλθητε καταγελῶντες τῶν ὑποσχομένων ὑμῖν πολλὰ κειμήλια ἐνεῖναι τοῖς λόγοις.* Qui haec verba celeriter transcurrerit, ei coniectura *ἀκροασόμενοι* quasi obtrudetur neque mirum est, quod Bekkerus eam etsi dubitanter proposuit; neque hanc scripturam aptissimum sententiarum conexum ita praebere negari potest, ut verba *καὶ τοῦτο πρῶτον ἀκροασόμενοι ἡμῶν* ad verba quae proxime antecedunt *ἄρτι ἀφιγμένοι* referantur. Sed tria illa participia *ἀφιγμένοι-ἀκροασάμενοι-ἐλπίσαντες* omnia ad verbum *ἀπέλθητε* referenda sunt, quo tota sententia quae a particula *μὴ* incipit quasi celeritate quadam tendit. Ea ipsa de causa ea verborum distinctione qua editores usi sunt sententiarum conexum perturbari iudicamus, et Dindorfii et Iacobitzii distinctione, qui post *ἀφιγμένοι* et *ἡμῶν* et *ἡμῖν* interpungunt, et Bekkeri post *ἡμῶν* et *ἡμῖν* interpungentis. Verba omnino non secernenda sunt. Clara autem et perspicua fit sententia verbis *μετ' ὀλίγον-τοῖς λόγοις* animo positis post *μὴ ὑμεῖς*. In verbis igitur *καὶ τοῦτο πρῶτον ἀκροασάμενοι ἡμῶν* ea inest sententia, ut significent: quamquam primum me audivistis, tamen brevi postquam dicendi initium feci omni ex spe deturbati statim me reicitis neque exspectatis, num postea aurum illud et electrum in verbis meis appareat.

Hic de quo disputavimus locus exemplum est eius dicendi generis, quo Lucianus sententias interdum suis locis moveat totamque orationem quasi distorqueat, quod genus et inde videtur ortum esse, quod non eandem diligentiam in omnibus libris conscribendis et perpoliendis videtur posuisse, et inde, quod non semel sed saepius celeritate quadam et vi eo tendit, quod summum ei est.

Quae cum ita sint, et aliis locis et Harmon. 1. 13, 28 interpretes verba quae codicibus tradita sunt iniuria temptare videntur. Harmonidem enim illum tibicinem narrat rhetor gloriam appetentem ex Timotheo magistro quaesivisse, quo modo sibi contingeret, ut ad summum in arte sua et gloriae et gratiae ascenderet gradum. Iam ita pergit: *ὥσπερ ὅτε καὶ σύ, ὦ Τιμόθεε, τὸ πρῶτον ἐλθὼν οἴκοθεν ἐκ Βοιωτίας ὑπηύλησας τῇ Πανδιονίδι καὶ νικήσας ἐν τῷ Αἴαντι τῷ ἐμμανεῖ τοῦ ὁμωνύμου σοι ποιήσαντος τὸ μέλος, οὐδεὶς ἦν ὃς ἠγνόει τοὔνομα, Τιμόθεον ἐκ Θηβῶν.* Cum pro *νικήσας* quae est codicum scriptura editores excepto Iacobitzio omnes in textu posuerint *ἐνίκησας*, hac coniectura eum sententiarum processum, quem Lucianus praebere voluit, mihi videntur perturbavisse. Quod vitium inde ortum est, quod *νικήσας* cum insequentibus verbis *ἐν τῷ Αἴαντι τῷ ἐμμανεῖ* coniungendum putabant: referendum id esse arbitror ad priora verba *ὑπηύλησας τῇ Πανδιονίδι*, verbum autem *ὑπηύλησας* post *καὶ νικήσας* animo addendum et cum verbis *ἐν τῷ Αἴαντι τῷ ἐμμανεῖ*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

coniungendum esse: *ὑπηύλησας τῇ Πανδιονίδι καὶ νικήσας* (sc. *ἐν τῇ Πανδιονίδι ὑπηύλησας*) *ἐν τῷ Αἴαντι τῷ ἐμμανεῖ . . ., οὐδεὶς ἦν κ. τ. λ.* Haec enim videtur in illis verbis sententia inesse: Timotheum cum ex patria venerit nemini cognitum primum artem suam praestitisse in tragoedia, quae a Pandione illo rege nomen traxerat, et victorem evasisse; cumque victor deinde in Aiace iterum in publicum prodierit, iam omnibus nomen eius notum fuisse; *ἀλλ' ἔνθ' ἂν καὶ νῦν φανῇς*, pergit Harmonides, *συνθέουσιν ἐπὶ σὲ πάντες ὥσπερ ἐπὶ τὴν γλαῦκα τὰ ὄρνεα.* Tres igitur gradus inter se discernuntur: nemini notus erat in Pandionide, victoria in Pandionide reportata nomen eius, cum in Aiace prodiret, iam omnibus erat notum, illis autem ipsis temporibus, quibus Harmonides ad Timotheum verba facit, omnibus ille erat non solum notus sed desideratus. Maiorem perspicuitatem Lucianus orationi ita afferre poterat, ut scriberet: *ὥσπερ, ὅτε καὶ σύ, ὦ Τιμόθεε, τὸ πρῶτον ἐλθὼν οἴκοθεν ἐκ Βοιωτίας ἐν τῇ Πανδιονίδι νικήσας ὑπηύλησας τῷ Αἴαντι . ., οὐδεὶς ἦν ὃς ἠγνόει τοὔνομα.* Commutatis inter se verbis *νικᾶν* et *ὑπαυλεῖν* rhetor sententias pertorsit, non quo quid vellet non satis dilucide proponeret. Cui rationi id non obstat, quod ad *ὑπηύλησας* et dativum *τῇ Πανδιονίδι* et verba *ἐν τῷ Αἴαντι* referre cogimur. Iam Fritzschius (Qu. L. 166) coniecturam *ἐνίκησας* repudians librorum scripturam ita defendit, ut anacoluthon vel aposiopesin quam dicunt ante verba *οὐδεὶς ἦν κ. τ. λ.* statuendam esse iudicet, qua interpretatione illum sententiarum progressum, de quo supra disputavimus, servari concedendum est.

Notissimum est illud rhetorice dicendi genus, quo pronomen demonstrativum ad aliquod vocabulum quod antecedit illud iterans refertur, qua relatione sermoni maior perspicuitas affertur; quam figuram grammatici epanalepsin vocant, de qua re Bernhardyus (Synt. 283 ss.) non pauca disseruit. Cuius generis apud Lucianum quoque exempla exstant non nulla, velut Bis accus. 34. 17, 1, ubi pronomen *αὐτὸν* ad vocem *ὃν* (sc. *τὸν διάλογον* 16, 38) refertur, qui accusativus a verbo suo *εἴθισα* multis attributis seiunctus est. Alii eiusmodi loci sunt Dips. 2. 8, 13 s., Prom. i. verb. 5. 19, 21 s., Voc. iud. 6. 59, 29 s. Non *οὗτος* sed *ἐκεῖνος* usurpatur Harm. 3. 15, 13 s. Ab hac dicendi ratione altera illa differt, qua *καὶ οὗτος* eadem fere sententia qua *καὶ αὐτὸς* usurpatur, et iniuria duo haec dicendi genera quasi idem ita confundit Schmidius (Attic. I 239), ut omnino nulla discrepantia inter ea interesse videatur. Omnibus enim eis locis, quos post eum qui est Vocal. iud. 89 affert, *καὶ οὗτος* ea ratione ponitur, ut ad idem vocabulum duas sententias referendas esse perspiciatur, exceptis duobus illis locis qui sunt Iup. trag. 30. 146, 38 et Conc. Deor. 4. 125, 24, ubi *καὶ αὐτὸς* positum est. De omnibus his locis nulla dubitatio esse potest et verba *καὶ αὐτὰ* quae sunt Iup. trag. 30, 146, 37 nisi ei qui eum locum leviter consideraverit, quo referantur, perspicuum non est. Pertinent enim eo, quod Apollo supra (c. 29. 146, 29) ut Timocli patronus vel interpres adiungeretur suaserat, cum nulla venuste dicendi facultas in eo viro esset. Apollo igitur Timocli confertur. Iam Fritzschius (Qu. L. 33 ss.) de hoc dicendi genere accuratius disputavit, unde quo illa verba *καὶ οὗτος* referenda sint non omnibus locis extra omnem dubitationem positum esse facile intellegitur.

II. Quod plurimis quibus Lucianei libelli traditi sunt codicibus melioribus contigit, ut virorum doctorum de eis iudicia valde inter se discrepent, id codici Gorlicensi praeter ceteros accidit, quippe quem Iacobitzius et Fritzschius tanti aestimaverint, ut eum maxime in textu qui vocatur constituendo sequerentur, Rhodius in appendice libelli quem de Asino edidit (p. 44 s.) utpote omnino observantia indignum abiecerit, Sommerbrodtius in editione

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sua (II 2 praef. p. VII) ipse quoque minorum gentium esse iudicaverit, cum eum in primi voluminis praefatione ab optimorum codicum praestantia proxime abesse censuerit. Neque melius de eo iudicium fecit Siemonsenus (Quaest. Luc. Hadersleb. Progr. 1865). Quicunque autem varias librorum inter se contulerit scripturas, ei facile apparebit omnes codices ab uno duobusve libris manu scriptis ortos esse, in quibus iam iniuria temporis opuscula Luciani non mediocriter depravata erant. De ratione autem, quae inter omnes codices Lucianeos videatur intercedere, Maximilianus Rothsteinius (Quaest. Luc. Berol. 1888) disseruit ille quidem, nec tamen eam quaestionem absolvit. Neque vero nobis hoc loco id munus suscipere in animo est, sed de non nullis locis disseremus, unde intellegi posse putemus iniuste facere eos, qui codicem Gorlicensem ad verba scriptoris constituenda nullius esse momenti iudicent, quamquam illum non ea laude dignum esse fatendum est, quam ei concesserunt Iacobitzius et Fritzschius.

Ac primum quidem videamus eum locum, qui est Somn. 3. 3, 25, ubi Lucianus, postquam patrem decrevisse narravit, ut filius statuariam artem amplecteretur, ita pergit: *ἅμα τε οὖν ἐπιτήδειος ἐδόκει ἡμέρα τέχνης ἐνάρχεσθαι, κἀγὼ παρεδεδόμην τῷ θείῳ μὰ τὸν Δί' οὐ σφόδρα τῷ πράγματι ἀχθόμενος, ἀλλά μοι καὶ παιδιάν τινα οὐκ ἀτερπῆ ἐδόκει ἔχειν καὶ πρὸς τοὺς ἡλικιώτας ἐπίδειξιν, εἰ φαινοίμην θεούς τε γλύφων καὶ ἀγαλμάτιά τινα μικρὰ κατασκευάζων ἐμαυτῷ τε κἀκείνοις, οἷς προηρούμην. καὶ τό γε πρῶτον ἐκεῖνο καὶ σύνηθες τοῖς ἀρχομένοις ἐγίγνετο.* Insequentibus verbis exponit imperitia sua et inscitia iram magistri adeo se excitavisse, ut scutica ab eo verberatus fuga salutem peteret domumque rediret. In proponendis illis verbis, de quibus disserimus, Jacobitzium secutus sum, quem ex signis, quibus in distinguendis verbis usus est, ea ita interpretari colligendum est, ut significent: ‚Vix idoneus dies, quo arte imbuerer, adesse videbatur, cum statim (id enim plusquamperfecto *παρεδεδόμην* significatur) avunculo traditus sum haud graviter, hercle, hanc rem ferens, quippe quae non mediocriter me etiam iuvare posse et laudem mihi amicorum comparatura esse videretur, si et deos sculperem et simulacra quaedam parva concinnarem cum mihi ipsi tum eis quibus vellem. Atque tum quidem illud, quod primum et usitatum tironibus evenire solet, mihi accidit.' Illud *τε*, quod particulae *ἅμα* adnectitur, utrum ita intellegendum sit, ut eo haec sententia cum antecedenti coniungatur, an ita potius, ut ad *καὶ* particulam quae sequitur respiciat, dubitatio esse potest. Neque enim raro Lucianus particula *τε* utitur non ad singulas voces, sed ad totas sententias inter se coniungendas, quem dicendi usum ex veteribus scriptoribus in primis Thucididi acceptum atticissantes scriptores libenter sequi Schmidius docet (Atticism. I 179, II 309, III 343), quem tamen virum doctum de Lucianeo huius particulae usu nulla facere verba mirum sane est; nam is et polysyndetica quam vocant verborum coniunctione libentissime utitur et ad verba polysyndetice coniungenda ipsam illam particulam *τε* in omnibus libris ceteris tam largiter adhibet, ut mirationem sane moveat Zeuxis, quippe in quo libello ne semel quidem haec particula legatur. Cuius rei num causa ea sit, quod qua aetate is libellus scriptus est ea rhetor iam novum scribendi genus amplexus erat (cf. Rothstein. Qu. L. I 18), dubius sum. Altera autem interpretandi ratio, qua particulam *τε* insequenti particulae *καὶ* respondere censemus, magis nobis arridet. Etenim nota et Luciano quoque usitata est ea duas sententias particulis *ἅμα-καὶ* adhibitis coniungendi ratio, qua duas res eodem fere tempore fieri exprimatur, ubi sermo latinus coniunctione cum utitur idque illo cum, quod inversum fere dicitur. Velut Tim. 20. 95, 37 leguntur haec: *ἅμα γοῦν ἔπεσεν ἡ ὕσπληγξ, κἀγὼ ἤδη ἀνακηρύττομαι νενικηκώς,*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et Philops. 24. 219, 17 *ἅμα δ' οὖν ἔγωγε ἅπαντα ἀκριβῶς ἑωράκειν, καὶ τὸ χάσμα συνέμυε καί τινες τῶν οἰκετῶν ἀναζητοῦντές με . . ἐπέστησαν οὔπω τέλεον μεμυκότος τοῦ χάσματος.* Hoc igitur de quo disserimus loco Somnii particula *τε* addita videtur esse particulae *ἅμα* non aliter atque Ant. 5,65 *οἱ πανουργοῦντες ἅμα τε πανουργοῦσι καὶ πρόφασιν εὑρίσκουσι τοῦ ἀδικήματος.* Sed ne hanc quidem interpretationem veram esse iudicamus. Nam iam Fritzschius in plusquamperfecto *παρεδεδόμην,* quod optimis libris traditum est (in Gorlicensi codice mero librarii errore factum *παραδεδόμην*), ita haesit, ut Hemsterhusii coniecturam *παρεδιδόμην* probatam Schwidopio (observ. Luc. Spec. IV. Königsb. 1867. p. 3) in verborum contextu poneret. Sed plusquamperfectum ita defendi potest, ut supra exposuimus, ut statim et eodem puncto temporis puerum avunculo traditum esse eo significetur. Gravius est illud, quod sententiarum conexus, qui verbis *καὶ τό γε πρῶτον κ. τ. λ.* efficitur, paene nullus est, cui difficultati Fritzschius ita mederi studet, ut post *προῃρούμην* non nulla deesse arbitratus haec fere addat: *μικρῷ δ' ὕστερον ἀφόρητον τὸ πρᾶγμα ἐφαίνετο καὶ τό γε πρῶτον ἐκεῖνο καὶ σύνηθες τοῖς ἀρχομένοις ἐγίγνετο,* vix tolerabile id quoque; etenim post ea quae Fritzschius supplevit exspectare debemus: *τὸ γὰρ πρῶτον . . ἐγίγνετο.* At nulla verborum commutatione opus est, quin omnia prospere succedunt, si codicem Gorlicensem ducem sequimur. Is enim pro *τὸ γε πρῶτον* praebet: *καὶ τότε πρῶτον.* Neque vero hanc scripturam ita intellegimus, ut Fritzschius, cum (Quaest. Luc. p. 1 s.) haec verba ita interpretatur: ‚tum quoque primum illud et suetum iis, qui incipiunt, accidit'. Immo illud *τότε* scribendum putamus *τό τε,* ut *τε* particula subsequenti *καὶ* respondeat, verba *τό τε πρῶτον ἐκεῖνο καὶ σύνηθες τοῖς ἀρχομένοις* significent: id quod et primum et usitatum tironibus. Saepius Lucianus duo adiectiva hoc modo coniungit: Hermot. 30. 183, 29 *τἀθηθῆ τε καὶ ψευδῆ,* ibid. 68. 201, 10 *τό γε μέγιστόν τε ἅμα καὶ ἀναγκαιότατον,* et paulo infra *τοῖς ἀδήλοις τε καὶ ἀμφιβόλοις,* Alex. 4. 72, 30 *τό τε* (Bekk. *τό γε*) *περίεργον καὶ εὐμαθές,* his quoque locis illa adiectiva arte coniuncta eodem articulo complectens. Illud *καὶ* autem, quod post *προῃρούμην* est, particulae *ἅμα* respondere iudicamus, cum altero illo *καὶ*, quod est in *κἀγὼ παρεδεδόμην*, verbum *ἐδόκει* arte coniunctum sit cum *παρεδεδόμην,* verbis autem *ἀλλά μοι* usque ad *προῃρούμην* interpositis ceterorum verborum continuationem interrumpi. Neque raro cum apud ceteros scriptores tum apud Lucianum ea orationis structura invenitur, qua verborum continuatio sententia alia interrumpatur, quae ad eam quae antecedit sententiam explicandam et interpretandam in media sententiarum continuatione interponitur. Quae sane sententia quamquam cum antecedenti conecti quodammodo et coniungi solet particulis quibusdam, vel *γὰρ* vel *δέ,* tamen sunt quoque loci, quibus desit particula copulativa: Merc. Cond. 19. 132, 20 *εἰ παῖδες εἶεν αὐτῷ παιδεύσεως δεόμενοι,* Hermot. 77. 205, 34 *εἴ τις ἐγγυητής ἐστί σοι ὅτι βιώσῃ τοσαῦτα.* Cumque Somnii libellus, de quo disserimus, oratio sit vel habita vel ficta — qui libellus num in *προλαλιῶν* numero cum Schmidio (Philol. 1892, 72 ff.) habendus sit dubitamus neque vero Croisetum in eo libro, quem de Luciano composuit, ei satisfecisse putamus — ne id quidem nos perturbat, quod sententia, quam interpositam interpretamur, praeter modum fere ac consuetudinem ampla videtur esse. Cui amplitudini pronuntiatione orator occurrere et mederi potuit. Neque breviores sunt sententiae, quae Hermot. 71. 203, 2—5 et Prom. 12. 79, 5—7 interpositae sunt.

Quae si recte de Somnii loco exposita sunt, is ita videtur interpretandus esse: ‚vix idoneus quo arte imbuerer dies adesse videbatur et vix avunculo traditus eram non graviter rem, hercle, ferens — quin iuvatura etiam et laudem amicorum comparatura mihi videbatur, si

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

deos vere sculperem et simulacra concinnarem parva quidem et mihi et eis quibus in animo esset — cum id, quod et primum et usitatum tironibus fere contingit, accidit e. q. s.'

Neque meliore iure ab editoribus in initio Somnii (1. 1, 3) particula *μὲν* post *τοῖς πλείστοις* reiecta nobis videtur uno codice Gorlicensi servata, cui si particulam *οὖν* respondere censemus (2. 1, 9 *δευτέρας οὖν σκέψεως ἀρχὴ προυτέθη*), totam disputationem ea perspicuitate, quae Luciani arte digna sit, exsistere confitendum est. Etenim verbis *τοῖς πλείστοις μὲν οὖν - ἀεὶ τὸ γιγνόμενον* exponitur, qua de re primum deliberaverint, scilicet de *παιδείᾳ* quam vocant, quam artem rhetoricam esse interpretes fere interpretantur, cogitari exiguam rem familiarem vetare, cui tamen sordidarum istarum artium aliqua, si puer ei se dedisset, mederi posset. Insequentibus ex verbis qua de altera re disputaverint discimus, scilicet cuinam artium illarum puer tradendus videatur, ut haec sit tabula sententiarum: *A. τοῖς πλείστοις μὲν οὖν . .* a) *παιδεία μὲν . .* b) *τὰ δ' ἡμέτερα . .* c) *εἰ δέ τινα τέχνην . .* α) *τὸ μέν πρῶτον . .* β) *οὐκ εἰς μακρὰν δέ . .* B. *δευτέρας οὖν σκέψεως . .* Neque haerere debemus in eo, quod antecedenti *μὲν* non respondet *δὲ*, quod exspectamus; non raro enim Lucianus ita loquitur.

Ibid. 4. 4, 6 narrat Lucianus multis cum lacrimis domum se ad matrem revertisse eumque ea quid sibi acciderit conquestum esse: *ἀγανακτησαμένης δὲ τῆς μητρός*, ita pergit, *καὶ πολλὰ τῷ ἀδελφῷ λοιδορησαμένης, ἐπεὶ νὺξ ἐπῆλθε, κατέδαρθον ἔτι ἔνδακρυς κ. τ. λ.* Quo loco participia *ἀγανακτησαμένης* et *λοιδορησαμένης* artiore vinculo cum insequenti verbo *κατέδαρθον* ita coniuncta esse apparet, ut causam, cur tandem puer, ubi appetiverit nox, obdormiverit, significent. Qua in re vel id dubitationem movet, quod verbi *ἀγανακτεῖν* activam fere formam ab scriptoribus usurpari constat neque apud Lucianum aliis locis medium pro activo reperiri videtur. Gravius autem est illud, quod ira et indignatione matris factum esse, ut puer somnium tandem caperet, dici vix potest. Recepta autem in textum ea scriptura, quam cod. Gorl. praebet, et omnia aptissime inter se cohaerent et tota rerum descriptio multo alacrior fit; est enim in hoc codice: *ἀνακτησαμένης δὲ τῆς μητρὸς κ. τ. λ. ἀνακτᾶσθαι* est vindicare, recuperare, velut Tox. 55. 244, 10 ss. de Arsacoma, qui amicos vulneratos ex manibus hostium eripuit, haec sunt: *ὁ δὲ ἀνακτησάμενος τοὺς φίλους καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας παρακαλέσας ὥρμησεν ἐπὶ τὸν Ἀδύρμαχον κ. τ. λ.* Phalar. I. autem (3. 43, 28) tyrannus de se praedicat: *τὴν δὲ πόλιν . . ὑδάτων τε ἐπιρροίαις ἀνεκτησάμην κ. τ. λ.*, ubi *ἀνακτᾶσθαι* est reficere et in meliorem statum reducere. Simili modo alii scriptores id verbum exhibent, velut Polybius (III 60, 7) *πολλὴν οὖν ποιούμενος πρόνοιαν Ἀννίβας τῆς ἐπιμελείας αὐτῶν ἀνεκτᾶτο καὶ τὰς ψυχὰς ἅμα καὶ τὰ σώματα τῶν ἀνδρῶν, ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἵππων.* Cf. III 87, 3. Dionysius Hal. II 42 *τοὺς κεκμηκότας ὑπὸ τραυμάτων ἀνακτησάμενοι.* In eandem atque hoc de quo agimus loco sententiam Iosephus A. I. XI 6, 9 id verbum usurpat, ubi postquam Estherem metu regis fractam ac debilitatam esse narravit, ita pergit: *ὁ δὲ βασιλεὺς . . . δείσας περὶ τῆς γυναικὸς μή καὶ πάθῃ τι τῶν χειρόνων ὑπὸ τοῦ φόβου, ἀνεπήδησεν ἀπὸ τοῦ θρόνου καὶ ταῖς ἀγκάλαις αὐτὴν ὑπολαβὼν ἀνεκτᾶτο κατασπαζόμενός τε καὶ προσομιλῶν ἡδέως καὶ θαρρεῖν παρακαλῶν καὶ μηδὲν ὑποπτεύειν σκυθρωπόν, ὅτι πρὸς αὐτὸν ἄκλητος ἔλθοι.* Aptissima haec verba sunt, unde quid sit hoc de quo res est loco verbum *ἀνακτᾶσθαι* facile intellegatur. Est enim idem ac sedare, lenire, vel quod nostra lingua dicimus 'wieder gut machen, gut zureden, beruhigen'. Huius autem significationis verbum et ad ea quae antecedunt et ad insequentem sententiam optime quadrant. Puerilia enim sunt, quae antecedentibus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verbis puer profert contra avunculum, *ὅτι ὑπὸ φθόνου ταῦτα ἔδρασε, μὴ αὐτὸν ὑπερβάλωμαι κατὰ τὴν τέχνην,* et ut puerum placet et leniat, mater ei assentitur et increpat avunculum efficitque, ut puer tandem obdormiat. Aptissima sane sententiarum ratio, quae interrumpitur atque omnino perturbatur ea scriptura, quam ceteri codices praebent interpolati, opinor, hoc loco omnes, ubi unus cod. Gorl. genuinam formam servavit, quam unus Bekkerus in textu suo posuit.

Neque assentimur editoribus, qui Tim. 8. 392, 8 codices ceteroquin optimos secuti Mercurium de Timone haec dicentem faciunt: *οὕτωσὶ μὲν εἰπεῖν, χρηστότης ἐπέτριψεν αὐτὸν καὶ φιλανθρωπία καὶ ὁ πρὸς τοὺς δεομένους ἅπαντας οἶκτος, ὡς δὲ ἀληθεῖ λόγῳ, ἄνοια καὶ εὐήθεια καὶ ἀκρισία περὶ τῶν φίλων.* Inter se opponuntur cum *χρηστότης, φιλανθρωπία, πρὸς τοὺς δεομένους ἅπαντας οἶκτος,* tum *ἄνοια, εὐήθεια, ἀκρισία.* Sed haec tria verba, *ἄνοια, εὐήθεια, ἀκρισία,* eam unam stultitiam significant, qua continetur et *εὐήθεια* et *ἀκρισία,* quamquam Lucianum haec ponere posuisse negari non potest. At melius se habent, quae codice Gorl. servata sunt: *ἄνοια, συνήθεια, ἀκρασία. συνήθεια* codice quoque Marciano *Ψ* traditum est. Hanc scripturam si receperimus, orationem et optime variatam et eam habemus, qua Timonis indoles et mores, quales fuerint, accuratius et clarius explicetur et quomodo paulatim ex divitissimo viro factus sit *δικελλίτης* optime intellegatur. Consuetudine enim multorum hominum assuetus (*συνηθείᾳ*), ex quibus qui veri amici essent, qui adulatores, ne discerneret stultitia (*ἀνοίᾳ*) impediebatur, non nullos sibi comparare amicos satis non habuit, sed in dies plures in societatem suam ascivit (*ἀκρασίᾳ*) et divitiarum suarum participes ac paene dominos eos fecit. Quocum consentiunt verba Iovis quae sunt 7. 392, 4 *ὁ καλὸς ἐκεῖνος, ὁ πλούσιος, περὶ ὃν οἱ τοσοῦτοι φίλοι.* Atque hac ipsa de causa Plutus recusat, ne ad eum se conferat (12. 393, 21) *ὅτι νὴ Δία ὕβριζεν εἰς ἐμὲ καὶ ἐξεφόρει καὶ ἐς πολλὰ κατεμέριζε,* et paulo infra: *αὖθις οὖν ἀπέλθω παρασίτοις καὶ κόλαξι καὶ ἑταίραις παραδοθησόμενος;* aptissime, opinor, his ipsis verbis et *ἄνοια* eius et *συνήθεια* et *ἀκρασία* explicantur et illustrantur. Neque id silentio praetereundum est scriptura ea, quam praebet cod. Gorl., multo facilius corrigendi et interpolandi studium excitari quam altera ea, quae ceteris codicibus debetur.

Idemque dicendum iudicamus de alio Timonis loco. Etenim c. 13 Iuppiter castigat Plutum, quod non raro aegre tulerit se inclusum in interiore domo a viris ad res suas attentis ac luce omnino privatum esse Timonemque obiurget, his verbis usus: *διότι σοι τὰς θύρας ἀναπετάσας ἠφίει περινοστεῖν ἐλευθέρως οὔτε ἀποκλείων οὔτε ζηλοτυπῶν. ἐλευθέρως* quod praebent ceteri libri manu scripti, si genuina est scriptura, aperte coniungendum est cum *περινοστεῖν.* At *ἐλευθερίως* scriptura cod. Gorl. servata quin unice vera sit minime dubius sum. De liberalitate enim Timonis hoc loco agitur et eam Iuppiter his verbis illustrare vult; conectendum autem est hoc loco *ἐλευθερίως* et cum antecedenti *ἠφίει* et cum insequentibus participiis *οὔτε ἀποκλείων οὔτε ζηλοτυπῶν.* Et aperte neque paucis verbis liberalitatem aptissime describi confitendum est. Atque ipso vocabulo *ἐλευθέριος* liberalitas Timonis quasi laudanda non vituperanda, laus non vitium proponitur eodem modo quo Iuppiter toto colloquio Timonem excusare et absolvere studet. Scriptura autem *ἐλευθέρως* talis est, qualem ut corrigeret librarius vix adduci potuit, *ἐλευθερίως* vero falso coniunctum cum *περινοστεῖν* cum non intellexisset quid sibi vellet facili coniectura immutavit.

Neque aliter, opinor, res se habet Iup. conf. 10. 132, 22, ubi Cyniscus, postquam deos ipsos voluntati atque arbitrio Parcarum esse subiectos Iovi exposuit, deum de natura

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Pronoiae, cuius obtrectatorum ex numero Cyniscum quoque unum esse ille suspicatur, his verbis interrogat: *ἐγὼ δὲ . . . ἡδέως δ' ἂν καὶ τοῦτο ἐροίμην σε, τίς ἡ Πρόνοια ὑμῖν αὕτη ἐστί, Μοῖρά τις ἤ καὶ ὑπὲρ ταύτην θεὸς ὥσπερ ἄρχουσα καὶ αὐτῶν ἐκείνων;* In omnibus excepto Gorlicensi codicibus exstat *ἄρχουσα* et iniuria in his verbis haeret P. R. Muellerus (Annal. Fleckeis. 1897, 6, p. 397), cum *ὥσπερ* quid hoc loco sibi velit explicari non posse arbitratur: nam cum antecedenti *θεὸς* ne illam particulam coniungamus, impediri nos iudicat vel genere dicendi. At Dial. Mar. 1, 4. 83, 1 haec sunt: *καὶ τὰ μέν κέρατα πήχεις ὥσπερ ἦσαν*, quod hyperbaton Schmidius quoque (Attic. I 419) affert. Neque intellegimus, quo iure Muellerus et Wielandium et Paulyum eam quam dicit difficultatem evitare iudicet, idque Wielandium, cum haec verba germanice ita reddat: ob etwa eine von den Parzen oder irgend eine noch groessere goettin, unter deren oberherrschaft auch sogar die Parzen stehen? Ac ne Bekkerum quidem verba recte interpretatum esse ex distinctione verborum, quam adhibuit, intellegitur. Ut autem et Bekkerus in his verbis haereret et Muellerus, id eo factum putamus, quod ad participium *ἄρχουσα* supplendum esse *ἐστὶ* viri docti non intellexerunt. Non raro autem cum apud alios scriptores tum apud Lucianum id dicendi genus adhibitum invenimus, velut Iup. trag. 53. 155, 19 *τὸ τοῦ Δαρείου πάνυ καλῶς ἔχον ἐστίν, ὃ εἶπεν ἐπὶ Ζωπύρου.* Prom. 4. 76, 37 *τὴν ἐν τῷ μέσῳ δὴ ταύτην σχολὴν καλῶς ἂν εἴη ἔχον ἐς 'κρόασιν καταχρήσασθαι σοφιστικήν.* Coniectura igitur hoc loco omnino opus est nulla, nam aptissime haec verba sic, ut tradita sunt, explicantur hoc modo: ‚Estne Parca quaedam an ultra eius auctoritatem sicut dea Parcis quoque illis ipsis imperat?' Aptissime autem Cyniscus illudit Iovem verbis *ὑπὲρ ταύτην θεὸς ὥσπερ*, cum paulo ante deos quoque sub dicione Parcarum esse demonstraverit. Nullam igitur offensionem habere codicum ceterorum scripturam iudicamus neque tamen eam, sed scripturam codice Gorl. traditam genuinam esse contendimus: *θεὸς ὥσπερ ἔχουσα καὶ αὐτῶν ἐκείνων.* Difficilior sane est sed ea ipsa de causa mutata in eam scripturam, quae ceteris codicibus tradita est. Etenim gratissimum Luciano quoque est notum illud dicendi genus, quo *ἔχειν* coniungitur cum adverbio. Ex magno numero duo exempla afferimus: Nigr. 299, 3 *ὅπως τε νῦν ἔχω*, Hermot 30. 183, 10 *εἰ καθάπερ νῦν ἔχω*, quibus locis id effici iudicamus, ut cum Lucianum videamus scripsisse *οὕτως ἔχω, ὅπως νῦν* vel *καθάπερ νῦν*, eundem non contempsisse argumentemur *οὕτως ἔχω ὥσπερ θεὸς* vel *θεὸς ὥσπερ*. Genetivi autem *καὶ αὐτῶν ἐκείνων* arcte ita cum vocabulo *θεὸς* coniungendi sunt, ut genetivi qui dicuntur subiectivi vel possessivi videantur esse et *θεὸς* vocabulo quasi domina Parcarum significetur. Praeterea ut hanc interpretationem fulciamus, afferre liceat verba quae sunt Philostr. Vit. Apoll.6. 36 p. 273 *Μειράκιον ἑαυτοῦ μὲν ἀπαιδεύτως εἶχε, τοὺς δὲ ὄρνις ἐπαίδευε*, ubi *ἑαυτοῦ μὲν ἀπαιδεύτως εἶχε* idem esse atque *ἑαυτὸν μὲν οὐκ ἐπαίδευεν* ex verbis quae illis opposita sunt *τοὺς δὲ ὄρνις ἐπαίδευε* clare apparet. Quae cum ita sint, hoc de quo agitur loco verba nobis sic esse interpretanda videntur: ‚id quoque mihi liceat te interrogare, quis vobis sit haec Pronoia, Parca quaedam? An ultra eam tamquam dea earum quoque ipsarum est domina?' Nos nostra lingua dicimus: Oder geht ihre macht noch über die der Parzen hinaus und steht sie auch zu diesen in dem verhältniss einer gottheit?

Quae si recte exposita sunt, hoc quoque loco uno codice Gorl. veram scripturam traditam esse facile intellegitur neque id praetereundum est hac codicis Gorl. scriptura multo facilius interpolandi studium excitari potuisse quam ceterorum codicum scriptura.

Idemque dicendum est de ea scriptura, quae codicibus Gorl. et Marciano *Ψ* servata

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Pronoiae, cuius obtrectator … m esse ille suspicatur, his
verbis interrogat: *ἐγὼ δὲ* … *ε, τίς ἡ Πρόνοια ὑμῖν αὕτη*
ἐστί, Μοῖρά τις ἤ καὶ ὑπὲ … *ὑτῶν ἐκείνων;* In omnibus
excepto Gorlicensi codicibu … rbis haeret P. R. Muellerus
(Annal. Fleckeis. 1897, 6, … i velit explicari non posse
arbitratur: nam cum antec … ngamus, impediri nos iudicat
vel genere dicendi. At D … *μέν κέρατα πήχεις ὥσπερ*
ἦσαν, quod hyperbaton Scl … Neque intellegimus, quo iure
Muellerus et Wielandium … atem evitare iudicet, idque
Wielandium, cum haec ve … eine von den Parzen oder
irgend eine noch groessere … uch sogar die Parzen stehen?
Ac ne Bekkerum quidem … listinctione verborum, quam
adhibuit, intellegitur. Ut … aereret et Muellerus, id eo
factum putamus, quod ad … sse *ἐστὶ* viri docti non in-
tellexerunt. Non raro au … apud Lucianum id dicendi
genus adhibitum invenimus … *Λαρείου πάνυ καλῶς ἔχον*
ἐστίν, ὃ εἶπεν ἐπὶ Ζωπύρ … *ῳ δὴ ταύτην σχολὴν καλῶς*
ἂν εἴη ἔχον ἐς Ἀχράσιν … ura igitur hoc loco omnino
opus est nulla, nam aptiss … xplicantur hoc modo: ‚Estne
Parca quaedam an ultra … quoque illis ipsis imperat?'
Aptissime autem Cyniscus … *ὸς ὥσπερ*, cum paulo ante
deos quoque sub dicione … igitur offensionem habere
codicum ceterorum scriptu … ed scripturam codice Gorl.
traditam genuinam esse … *αὐτῶν ἐκείνων*. Difficilior
sane est sed ea ipsa de … ae ceteris codicibus tradita
est. Etenim gratissimum … di genus, quo *ἔχειν* coniun-
gitur cum adverbio. Ex … Nigr. 299, 3 *ὅπως τε νῦν*
ἔχω, Hermot 30. 183, 10 *εἰ* … iudicamus, ut cum Lucianum
videamus scripsisse *οὕτως* … ndem non contempsisse argu-
mentemur *οὕτως ἔχω ὥσ* … autem *καὶ αὐτῶν ἐκείνων*
arcte ita cum vocabulo *θεὸ* … ntur subiectivi vel possessivi
videantur esse et *θεὸς* voc … ur. Praeterea ut hanc inter-
pretationem fulciamus, affe … Apoll.6. 36 p. 273 *Μειράκιον*
ἑαυτοῦ μὲν ἀπαιδεύτως εἶχ … *ἐν ἀπαιδεύτως εἶχε* idem esse
atque *ἑαυτὸν μὲν οὐκ ἐπαί* … *τοὺς δὲ ὄρνις ἐπαίδευε* clare
apparet. Quae cum ita s … obis sic esse interpretanda
videntur: ‚id quoque mihi … aec Pronoia, Parca quaedam?
An ultra eam tamquam de … ?' Nos nostra lingua dicimus:
Oder geht ihre macht noc … teht sie auch zu diesen in
dem verhältniss einer gott …

Quae si recte exp … ice Gorl. veram scripturam
traditam esse facile intell … hac codicis Gorl. scriptura
multo facilius interpolandi … orum codicum scriptura.

Idemque dicendum … Gorl. et Marciano *Ψ* servata

© The Tiffen Company, 2007
TIFFEN Gray Scale
R G B W G K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

est Dial. Deor. 1, 1. 95, 4: *τοσουτω χρόνω*. Iam Du Mesnilius (l. l. p. 8) dativi temporis pro accusativo positi exempla affert, qui vir doctus hunc usum latino sermoni deberi statuit. Sed conferas ea, quae Schmidius (Attic. I 237) de latino sermone et Luciano et ceteris posterioris graecitatis scriptoribus cognito et usitato disseruit. Exemplis autem quae Du Mesnilius affert hunc quoque de quo agimus locum addendum esse iudicamus.

Aliis quibusdam locis editores nulla necessitate coacti ea scriptura, quam cum aliis bonis codicibus codicis Gorl. librarius servavit, abiecta sive coniciendo verba sanare studuerunt sive eam, quae deterioribus codicibus tradita est, receperunt. Exemplo sit Tim. 20, 395, 40, ubi Mercurius obloquitur Pluto tardis et claudis pedibus se ad eos ire, ad quos a Iove mittatur, contra celerrime eosdem deserere dicenti his verbis: *οὐκ ἀληθῆ ταῦτα φῄς. ἐγὼ δέ τοι πολλοὺς ἂν εἰπεῖν ἔχοιμί σοι χθὲς μὲν οὐδὲ ὀβολὸν ἅστε πρίασθαι βρόχον ἐσχηκότας, ἄφνω δὲ τήμερον πλουσίους καὶ πολυτελεῖς, ἐπὶ λευκοῦ ζεύγους ἐξελαύνοντας, οἷς οὐδὲ κἂν ὄνος ὑπῆρξε πώποτε. καὶ ὅμως πορφυροῖ καὶ χρυσόχειρες περιέρχονται, οὐδ' αὐτοὶ πιστεύοντες, οἶμαι, ὅτι μὴ ὄναρ πλουτοῦσιν.* Concedendum sane est pro *δὲ* post *ἐγὼ* exspectare nos *γὲ* vel *γὰρ*, cum antecedenti sententiae (*οὐκ ἀληθῆ ταῦτα φῄς*) non altera opponatur, sed eis verbis quae sequuntur illa potius quae antecedat sententia explicetur et confirmetur; qua de causa Sommerbrodtius *γὲ* in textu posuit. Tamen illud *δὲ* Fritzschio auctore plurimis codicibus servatum, auctore Sommerbrodtio duobus tantum libris Gorl. et Marc. Ψ, ita potest defendi, ut Mercurium ad exempla, quibus Plutum refutare in animo habet, properantem orationem suam quasi comprimit hanc sententiam omittens: *ἐγὼ δέ τοι τἀληθῆ σοι λέγω. πολλοὺς γὰρ ἄν εἰπεῖν ἔχοιμι κ. τ. λ.*

Pro *κἂν ὄνος* Cobetus scriptum fuisse coniecit *κανθήλιος*, quae coniectura Sommerbrodtio probatur. Sed commutari verba opus omnino non est, cum saepissime Lucianus verba *κἂν* usurpet, ut angustis finibus aliquid coerceat. Ex magno exemplorum numero, quae enumerare longum est, id quidem apparet saepissime a Luciano illud *κἄν* usurpari, ut minimum quod in ea re de qua agit cogitari possit exprimat. Neque perturbari debemur eo, quod hoc loco subiectum desideratur, ad quod verbum *ὑπῆρξε* referatur. Ellipticam enim dicendi rationem Luciano usitatissimam esse satis constat neque F. Kerstenum nihil de hac re explicandum reliquisse opinor. Hoc autem de quo disserimus loco illud *κἂν* quasi simplex vocabulum videtur additum esse, ut fines particula *οὐδὲ* iam satis circumducti magis constringantur. — Tertium, de quo hoc loco est disserendum, est id, quod Sommerbrodtius codicem Marcianum Ψ secutus pro *καὶ ὅμως* in verborum continuatione posuit *καὶ ὤμους*. Hac scriptura apte inter se opponi humeros purpureis vestimentis velatos et manus aureis anulis comptas quis est qui neget? Sed neque Lucianum Luciano meliorem reddere fas est et ipse Lucianus hanc coniecturam refutare videtur, cum Nec. 12. 309, 25 haec scribat: *ὁ δὲ μόγις ἄν ποτε ἀνατείλας αὐτοῖς πορφυροῦς τις ἢ περίχρυσος ἤ διαποίκιλος εὐδαίμονας ᾤετο καὶ μακαρίους ἀποφαίνειν φιλεῖν.* Unde illud quidem efficitur Lucianum *πορφυροῦς* vocabulum ita usurpare, ut hominem divitem purpureis vestibus exornatum *πορφυροῦν* significet nullo addito vocabulo.

Scr. m. Nov. a. MDCCCLXXXXVII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf